Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2355

Quelle:
Copyright:

(manifeſte omiſſa unitas) *die IIII* (omiſſa decas) *Januarij qui poſtmodum coruſcauit miraculis. Amen.* Anno 1331. 14. Jan. mortuum, conſentiunt Scriptores Ordinis, ſed emendandus ex dictis *Waddingus*, qui *Annal.* T. III. ad *h. a.* Itinerarium *Utini* dictatum voluit. Copioſe ceterum de Noſtro egit *Joh. Joſ. Lirutus* in *Notizie de' Letterati del Friuli* T. I. *Venet.* 1760. c. 17. p. 274. quem, ſi lubet, adi.

Praetextae ſunt *Codici* in membrana Literae executoriales *Fantini de Valle* J. V. D. Archipresbyteri *Parentini*, Pontificii Capellani et S. Palatii Apoſt. cauſſ. Auditoris ſententiae pro *Henrico Hecht* contra *Johannem Puor* de *Ratingen* latae, qua memorato *Hecht* Vicaria in Eccleſia B. M. V. *ad gradus Coloniae* adjudicatur. *Dat. Romae apud S. Petrum A. 1469. Indict. 2. die 13. Jan. Pontificat. Pauli PP. II. anno quinto.* Teſtibus *Nicolao Gleywitz* et *Henrico Konen de Sprinck* notariis publicis. Subſcripſit *Vitus Truchſeſs* clericus *Bamberg.* Vice M. *Henrici Lebenther* clerici *Herbipolen.*

DCXVI.

Codex chartaceus immixtis tamen membranis, lat. Sec. XV. Folior. 287. 4. a Diverſis conſcriptus continet, quae ſequuntur: I. *Alani de Inſulis*, de quo videri poteſt *Index*, *Anticlaudianum*, ſive Poema verſu hexametro, in IX. Libros diſtinctum, quae tamen Diſtinctio in *Codice* obſervata non eſt. De ejus Nomine, Materia, Editionibus agit *Polyc. Leyſerus* in *Hiſt. Poetar. et Poem. med. Aevi* p. 1016. ubi etiam Praefationem et Librum I. e *Mſ. Helmſtadienſi* exhibet ob lectionis varietatem. Ad Praefat. quae incipit: 642

Autoris mendico ſtilum faleraſque poete.
Ne mea ſegnicie clio deiecta ſeneſcat &c.

obſervo, in Exemplaribus quibusdam Caeſareis *Aurorae Petri de Riga* praefixam reperiri, adeoque dubium eſſe, ad utrum re ipſa pertineat. Opus ipſum, cujus initium:

Ut ſibi iuncta magis nature dona reſultent &c.

ſat emendate ſcriptum definit:

Exhauſit proprio concludens fine laborem.

Adjecit Librarius: *Explicit per manus Nicolai de Wratislauia.*

II. *fol.* 57. ſubeunt per 2. columnas exarata *Precepta Magiſtri*